

num, quarum illic, & in subscriptione constitutionis de nov. Cod. confir. fit mentio, constare potest.

c) Hoc, & septem sequentia, sunt agnomina, ex bellis atque victoriis, etiam post demum secutis, Imperatori nostro parta, & ab iis qui Institutiones hasce descripserunt, honoris ac venerationis ergo adjecta.

d) Pius, felix, &c. sunt appellationes vocitivæ, boni omnis causâ Augustis in inaugurationibus acclamari solite, & post etiam eorum titulis inserta. Victoris autem & Triumphatoris nomen, Vandali præsertim, ex Africâ pulsi, Iustiniano fecerunt.

Partes huius Proœmii sunt IV.

I. Propositio, de officio Imperatoris in genere.

Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: ut utrumque tempus, & bellorum & pacis, rectè possit gubernari: & Princeps Romanus, non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites, calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam juris religiosissimus, quàm victis hostibus triumphator magnificus.

II. Assumptio, de Iustiniani Imperatoris studio, tum in armis, tum in legibus.

§. 1. Quorum utramque viam cum summis vigiliis, summâque providentiâ, annuente Deo, perfecimus. Et bellicos quidem sudores nostros